

IL CARTEGGIO TRA AUSONIO E PAOLINO DI NOLA

Le tre epistole esametriche di Ausonio all'antico allievo, successive all'autunno del 389, quando questi si era già stabilito in Spagna con la moglie Terasia, e le due repliche polimetriche di Paolino di Nola costituiscono il primo esempio di corrispondenza cristiana in versi.

Si propongono qui le ultime due epistole del carteggio.

La lettera di Ausonio sancisce l'irrevocabilità del distacco: il maestro è incapace di accettare le spiegazioni ricevute da Paolino nel *carm.* 10 e riafferma la sua fiducia nel potere della lingua letteraria tradizionale e l'espressione di una concezione "oraziana" dell'*otium* profondamente diversa dalla visione ascetica dell'amico.

Paolino replica con il *carm.* 11, alternando esametri (vv. 1-48) e distici giambici (vv. 49-66): la lettera sancisce la fine dei contatti diretti con Ausonio, accompagnata da una "spiritualizzazione" del culto dell'amicizia; priva di riferimenti alle motivazioni del cambiamento, ricorda il passato senza rimpiangerlo.

Edizioni

Ausonio:

Green, R.P.H., *The works of Ausonius*, edited with Introduction and Commentary, Oxford 1991

Decimo Magno Ausonio, *Epistole*, Introduzione, testo critico e commento a cura di Luca Mondin, Venezia 1995

Paolino di Nola:

Sancti Pontii Meropii Paulini Nolani Carmina recensuit et commentario critico instruxit Guilelmus de Hartel, *CSEL* 30, Vindobonae 1894 (editio altera supplementis aucta curante Margit Kamptner, Vindobonae 1999)

Traduzioni italiane

Ausonio:

Pastorino, A., *Opere di Decimo Magno Ausonio*, Torino 1971 (la lettera è la n. 25 della silloge)

Paolino di Nola:

Paolino di Nola, *I Carmi*. Testo latino con introduzione, traduzione italiana, note e indici a cura di Andrea Ruggiero, Napoli-Roma 1996

Filosini, S., *Paolino di Nola, Carmi 10 e 11*, Introduzione, testo, traduzione e commento. Con un saggio di F.E. Consolino, Roma 2008

Un'edizione commentata dell'intera corrispondenza, con traduzione francese, è disponibile in:

Amherdt, D., *Ausone et Paulin de Nole: correspondance*. Introduction, texte latin, traduction et notes, Bern-Berlin-Bruxelles-Frankfurt am Main-New York-Oxford-Wien 2004

Auson. epist. 24 Green = 23 Mondin

Discutimus, Pauline, iugum, quod nota fouebat
temperies, leue quod positu et uenerabile iunctis
tractabat paribus concordia mitis habenis,
Quod per tam longam seriem uoluentibus annis
nulla querella loco pepulit, non ira nec error, 5
nec quae compositis malesuade credula causis
concinnat ueri similes suspicio culpas;
tam placidum, tam mite iugum, quod utrique parentes
ad senium nostri traxere ab origine uitae
impositumque piis heredibus usque manere 10
optarunt dum longa dies dissolueret aeuum.
Et mansit, dum laeta fides nec cura laborat
officii seruare uices, sed sponte feruntur
incustoditum sibi continuantia cursum.
Hoc tam mite iugum docili ceruice subirent 15

Martis equi stabuloque feri Diomedis abacti
 et qui mutatis ignoti Solis habenis
 fulmineum Phaethonta Pado mersere iugales.
 Discutitur, Pauline, tamen, nec culpa duorum
 ista, sed unius tantum tua; namque ego semper 20
 contenta ceruice feram. Consorte laborum
 destituor, nec tam promptum gestata duobus
 unum deficiente pari perferre sodalem;
 non animus uiresque labant, sed iniqua ferendo
 condicio est oneri, cum munus utrumque relicto 25
 ingruit acceduntque alienae pondera librae.
 Sic pars aegra hominis trahit ad contagia sanum
 corpus et exigui quamuis discrimine membri
 tota per innumeros artus compago uacillat.
 Quantum oblectamen populi, quae uota bonorum 30
 sperato fraudata bono! Gratantia cuncti
 uerba loquebantur, iam nomina nostra parabant
 inserere antiquis aeu melioris amicis.
 Cedebat Pylades, Phrygii quoque gloria Nisi
 iam minor et promissa obiens uadimonia Damon. 35
 Nos documenta magis felicia, qualia magnus
 Scipio longaeuque dedit sapientia Laeli;
 nos studiis animisque isdem miracula cunctis,
 hoc maiora, pares fuimus quod dispare in aeuo.
 Ocius illa iugi fatalis soluere lora 40
 Pellaeum potuisse ducem reor, abdita opertis
 principiis et utroque caput celantia nodo.
 Grande aliquod uerbum nimirum diximus, ut se
 inferret nimiis uindex Rhamnusia uotis:
 Arsacidae ut quondam regis non laeta triumphis 45
 grandia uerba premens ultrix dea Medica belli
 sistere Cecropidum in terris monumenta paranti
 obstitit et Graio iam iam figenda tropaeo
 ultro etiam uictis Nemesis stetit Attica Persis.
 Quae tibi Romulidas proceres uexare libido est? 50
 In Medos Arabasque tuos per nubila et atrum
 perge chaos: Romana procul tibi nomina sunt.
 Illic quaere alios oppugnatura sodales,
 liuor ubi iste tuus ferrugineumque uenenum
 opportuna tuis inimicat pectora fucis; 55

Paulinum Ausoniumque, uiros quos sacra Quirini
 purpura et auratus trabeae uelauit amictus,
 non decet insidiis peregrinae cedere diuae.
 Quid queror Eoi que insector crimina monstri?
 Occidui me ripa Tagi, me Punica laedit 60
 Barcino, me bimaribus iuga ninguida Pyrenaei
 * * * * *
 moenibus et patrio forsitan quoque uestis et oris
 * * * * *
 quemque suo longe dirimat prouincia tractu
 trans montes solemque alium, trans flumina et urbes
 et quod terrarum caelique extenditur inter 65
 Emeritensis Anaë lataeque fluenta Garunnae.
 Quod si interualli spatium tolerabile limes
 poneret exiguus, quamuis longa omnia credant
 qui simul esse uolunt, faceret tamen ipsa propinquos
 cura locos, mediis iungens distantia uerbis: 70
 Santonus ut sibi Burdigalam, mox iungit Aginnum
 illa sibi et populos Aquitanica rura colentes,
 utque duplex Arelas Alpinae tecta Viennae
 Narbonemque pari spatio sibi conserit et mox
 quinquiplicem socias tibi, Martie Narbo, Tolosam. 75
 Hoc mihi si spatium uicinis moenibus esset,
 tunc ego te ut nostris aptum complecterer ulnis
 afflaretque tuas aures nostrae aura loquellae.
 Nunc tibi trans Alpes et marmoream Pyrenen
 Caesarea est Augusta domus, Tyrrhenica propter 80
 Tarraco et ostrifero superaddita Barcino ponto:
 me iuga Burdigalae, trino me flumina coetu
 secernunt turbis popularibus otiaque inter
 uitiferi exercent colles laetumque colonis
 uber agri, tum prata uirentia, tum nemus umbris 85
 mobilibus celebrique frequens ecclesia uico,
 totque mea in Nouaro sibi proxima praedia pago,
 dispositis totum uicibus uariata per annum,
 Egelidae ut tepeant hiemes rabidosque per aestus
 aspirent tenues frigus subtile Aquilones. 90
 Te sine sed nullus grata uice prouenit annus:
 uer pluuium sine flore fugit, Canis aestifer ardet,
 nulla autumnales uariat Pomona saporibus

effusaque hiemem contristat Aquarius unda.
 Agnoscisne tuam, Ponti dulcissime, culpam? 95
 Nam mihi certa fides nec commutabilis umquam
 Paulini illius ueteris reuerentia durat
 quaeque meoque tuoque fuit concordia patri;
 si tendi facilis cuiquam fuit arcus Vlixī
 aut praeter dominum uibrabilis ornus Achilli, 100
 nos quoque tam longo Rhamnusia foedere soluet.
 Sed cur tam maesto sero tristia carmina uersu
 et non in meliora animus se uota propinquat?
 Sit procul iste metus: certa est fiducia nobis,
 Si genitor natusque dei pia uerba uolentum 105
 accipiat, nostro reddi te posse precatu,
 ne sparsam raptamque domum lacerataque centum
 per dominos ueteris Paulini regna fleamus
 teque uagum toto, quam longa Hispania, tractu
 immemorem ueterum peregrinis fidere amicis. 110
 Accurre, o nostrum decus, o mea maxima cura,
 uotis omnibusque bonis precibusque uocatus;
 appropera, dum tu iuuenis, dum nostra senectus
 seruat inexhaustum tibi gratificata uigorem.
 Ecquando iste meas impellet nuntius aures? 115
 “Ecce tuus Paulinus adest! iam ninguida linquit
 oppida Hiberorum, Tarbellica iam tenet arua;
 Ebromagi iam tecta subit, iam praedia fratris
 uicina ingreditur, iam labitur amne secundo,
 iamque in conspectu est, iam prora obuertitur amni 120
 ingressusque sui celebrata per ostia portus
 totum occursantis populi praeuertitur agmen,
 et sua praeteriens iam iam tua limina pulsat!”
 Credimus, an qui amant ipsi sibi somnia fingunt?

Paul. Nol. *carm.* 11 Hartel

Continuata meae durare silentia linguae
te numquam tacito memoras placitamque latebris
desidiam exprobras neglectaeque insuper addis
crimen amicitiae formidatamque iugalem
obicis et durum iacis in mea uiscera uersum. 5
Parce, precor, lacerare tuum nec amara paternis
admiscere uelis ceu melli absinthia uerbis.
Cura mihi semper fuit et manet officiis te
omnibus excolere, adfectu obseruare fideli.
Non umquam tenui saltem tua gratia naeuo 10
commaculata mihi est; ipso te laedere uultu
semper et incauta timui uiolare figura.
Cumque tua accessi uenerans, mea cautius ora
composui et laeto formaui lumine frontem,
ne qua uel a tacito contractam pectore nubem 15
duceret in sanctum suspicio falsa parentem.
Hoc mea te domus exemplo coluitque colitque,
inque tuum tantus nobis consensus amorem,
quantus et in Christum conexa mente colendum.
Quis tua, quaeso, tuis obduxit pectora liuor? 20
Quo rumore pium facilis sibi fama per aures
irrupit pepulitque animum contraque uetustam
experta pietate fidem noua uulnera mouit,
Laederet ut natis placidum malesuada parentem?
Sed mihi non fictae mens conscia simplicitatis, 25
nec patris inculti pietas rea respuit omne
immeritum et falso perstringi crimine non fert,
immunis uero; grauius uiolatur iniquo
uulnere tam tenera offensae quam libera culpae.
Discussisse iugum quereris me, quo tibi doctis 30
iunctus eram studiis. hoc nec gestasse quidem me
asserero; namque pares subeunt iuga, nemo ualentes
copulat infirmis, neque sunt concordia frena,
si sit compulsis mensura iugalibus impar.
Si uitulum tauro uel equum committis onagro, 35
si confers fulicas cygnis et aedona picae,
castaneis corylos, aequas uiburna cupressis,
me compone tibi; uix Tullius et Maro tecum
sustineant aequale iugum. si iungar amore,

hoc tantum tibi me iactare audebo iugalem, 40
quo modicum sociis magno contendit habenis
dulcis amicitia aeterno mihi foedere tecum
et paribus semper redamandi legibus aequa.
Hoc nostra ceruice iugum non scaeuā resoluit
fabula, non terris absentia longa diremit 45
nec perimet. toto licet abstrahar orbe uel aeuo,
numquam animo diuisus agam; prius ipsa recedet
corpore uita meo quam uester pectore uultus.

Ego te per omne quod datum mortalibus
et destinatum saeculum est, 50
claudente donec continebor corpore,
discernar orbe quolibet,
nec ab orbe longe nec remotum lumine
tenebo fibris insitum,
uidebo corde, mente complectar pia 55
ubique praesentem mihi.
Et cum solutus corporali carcere
terraque prouolauero,
quo me locarit axe communis pater,
illic quoque animo te geram. 60
Neque finis idem qui meo me corpore
et amore laxabit tuo.
Mens quippe, lapsis quae superstes artubus
de stirpe durat caeliti,
sensus necesse est simul et affectus suos 65
retineat ut uitam suam;
et ut mori sic obliuisci non capit,
perenne uiuax et memor.